

buscum ipsi familiariter vivunt, in pertinacia, & scelere confirmare: Ridiculus plane sit, qui ita sentiat: cum Ecclesiæ consilium sit, lectionem permittere pestilentium librorum, aut eum ejectis colloquia, & societatem, ut & illi confutentur accuratius, & isti commodius ad sanitatem revocentur.

V. *Alexander Septimus* anno 1661. *sub die 8. Decembris in Bulla, quæ incipit, Sollicitudo omnium Ecclesiarum, relatis omnibus supra dictis Constitutionibus, illas ad instantiam Episcoporum, Capitulorum, Ecclesiarum, Regis, & Regnorum Hispaniæ confirmat, innovat, & extendit, & sub penis in iisdem Constitutionibus contentis observari mandat. Notanda sunt tamen, quæ in paragrapho sexto hujus Constitutionis, quæ Myserio Conceptionis est cæteris favorabilior, præcipiuntur: Vetamus tamen Sixti Constitutionibus inhærentes, quæ impiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant: cum a Romana Ecclesia, & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc decisum: prout nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus: quin potius contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter poenas, quibus eos subjecit Sixtus Quartus, aliique prædecessores nostri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis subjecimus, quas in contrafacientes huic nostræ Constitutioni superius infiximus. Clemens tandem XI. anno 1708. *sub die 6. Decembris in Bulla, quæ incipit, Commisisti nobis, &c. præcipit, ut Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis immaculate de præcepto ubique in posterum observetur.**

Si auctor libelli causidicum ageret, non Theologum, dignus aliqua laude videri posset. Est enim dissimulandi artifex mirus; & quæ causæ magnopere nocent, ea callide præmittit. Meminerit lector eruditus, & prudens, quæ supra diximus, cum quædam capita Alexandrini decreti commemoraremur. Nunc ut ad illa respondeamus, quæ postremo lo-